



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XXXVI. Tereus rex in upupam: uxor Progne in hirundinem:
Philomela soror uxoris, in cognominem avem transformatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XXXVI.

Tereus rex in upupam : uxor Progne in hirundinem : Philomela soror uxoris, in cognominem avem, transformatur.

o. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Adulterij crimen. 2. Scelera diu tegi non possunt. 3. Zelus læsæ fidei conjugalis. 4. Amoris impuri violentia. 5. Scelerum diuturnæ notæ. 6. Inauspicatum conjugium.

P*Andion* Athenarum rex, cum oppressus bello, auxiliariis à *Tereo*, Thracum rege, copijs adjunctus fuisset, majorem ei natu filiam *Prognen*, in matrimonio collocavit; ex quo natus ijs filius *Irys* nominatus. Quinquennio jam cohabitabat marito *Progne*, cum desiderio sororis, *Philomela*, quæ cum patre erat, tacta, petijt à *Tereo*, illam ut ad se Athenis in Thraciam adduceret. Proficiscitur in Atticam *Tereus*, humanissimè suscipitur à socero *Pandione*; reversurus domum, impetrat, ut viæ sibi comes addatur *Philomela*, quæ & ipsa visendæ sororis perquam cupida. Cæterum jam antè species puellæ rapuerat animum barbari, & quo non volebat, igne accenderat. Vnà se committunt viæ, columba cum accipitre. Ad littus Thraciæ ubi appulsum, & ipsi jam in portu erant, cœpit naufragari castitas. Homo barbarus & impurus, immemor fidei, thori, hospitij, juris omnis, virginem regiam nihil minus metuentem, & nequicquam reluctantem, Deos, hominésque vindices inclamantem vitiat, vitiatæque, ne quæ flagitium indicare posset, linguam insuper præcidit: arctissimæ custodiæ in densa quadam silva, procul ab hominum commercio, includit. Verùm illa (ut erat artis Phrygiæ peritissima) quod ore conqueri non potuit, manibus peregit; rem omnem, quo gesta fuit ordine, in tela depingit acu, eamque forori per fidum nuntium transmittit. Hæc pro eo, ac ferebat atrocitas injuriæ, gravissimè commota, ultionem tamen in Orgiorum tempus (quò scilicet Bacchi Sacra insanum in modum à sexu femineo celebrabantur, uti supra memoravimus) differt, quo tempore magna mulierum bacchantium

Δ α ζ

chantium

chantium catervâ stipata, thyrsisque, ac pellibus & cornibus instructa, rapido fertur in silvas cursu, sororem carceri eripit, & in regiam perducit; ubi communicatō cum illa consiliō, truculentæ vindictæ genus meditatur in Terea, multiplici facinore sceleratum. Ityn, filium communem, frustra tendentem brachia, medium arripit, ferrum per costas transadigit: caput amputat, truncum corpus in plures secat partes: membra partim assat, partim lixat; sicque cocta & condita, apponit patri epulanda, immani crudelitatis, & feminei furoris exemplo, Tyrannus satis ubi comesti filij artubus ventrem distendit (ne simul assiderent Progne & Philomela, excusabant Orgiorum ritus, per quos solis inter se feminis convivari licebat) Ityn jubet gnatum ad mensam acciri, & ad bellaria venire. Ibi tum Philomela, clinguis caput pueri (quid atrocius?) ambabus infert manibus, & in adulteri ac incesti faciem validè ac sonanter conijcit, id unum dolens, gaudium ex ultione conceptum, verbis testari non posse. Fecit Progne, quod Philomela nequijt, & quidquid irritatus furor execrationum excogitare valuit, in detestandum mœchum agcessit. Tereus cum demersas in viscera dapes nequicquam conaretur rejicere, Furijs omnibus ex orco evocatis, stringit ferrum; amentis instar in uxorem ac Philomelam ruit. Sed ecce; dum fugientibus instat, repentè videt Prognem in *hirundinem*, Philomelam in *sui nominis avem*, hoc est, lusciniam verti, & volatu auferri. Miranti & indignanti, non minùs subita transformatio evenit; nam & ipse in volucrem *upupam* mutatus est.

Ethica.

I. (a) Inter pestilentes sædæ concupiscentiæ fructus non ultimus est adulterium, seu conjugalis thori violatio, cuius fidem oportet esse sanctissimam, & humano, divinòque jure intemeratam. Est hoc flagitium gentibus omnibus exosissimum, & gravissimis poenis plecti solitum. Hebraei adulteros & adulteras lapidibus obruebant. Flagitiosissimam hanc Venerem sequitur omnium malorum catena, nempe cæcitas mentis, turpitude, ignominia, opprobrium, mors ipsa, plena dedecoris & acerbatis. Quod regum sapientissimus in parabolis suis indicat. c. 6. *Qui adulter est, propter cordis inopiam (vecordiam) perdet animam suam (infamem subibit mortem) turpidinem & ignominiam congregabit sibi, & opprobrium illius non delebitur (semper hærebit macula parentibus, filiis, nepotibus)* Hoc si mœchi,

(a) *Adulterij crimen.*

chi, mœchæque perpendere, utique caverent, & dicerent: *tantipœnitentia non emo.* Atque ut taceam historias, Tereus per fabulam sine fabula documentum est, quid sit libidini frena permittere, & conjugali fidei labem inferre. Nam quod Philomelæ, uxoris forori reluctanti, & per Sacra omnia obtestanti, vim nefarius intulerit, linguam exsecuerit, eam custodia mandavit: Progne filium parvulum Ityn in frustra conciderit, in cibum coxerit, apposuerit, incestificus maritus in ventrem absconderit: exinde furis agitatus in volatilem bestiam immigravit, eandemque pœnam uxor & huius soror subierint, quænam alia fuit causa, quam nefandum adulterii scelus, cuius hi fructus existunt?

II. (b) Credebat impurissimus homo cum excissa Philomelæ lingua, criminis etiam notitiam elinguatam, & cum custodia in solitario loco abdita, flagitium quoque tenebris obtectum esse. Sed falsus est sceleratissimus pudoris alieni prædo; quod tacent homines, mutæ loquuntur picturæ; turpissimi facti infamia iisdem cum upupa pennis volat. Apud Martialem lib. 2. Epigram. Ponticus quidam nomine, servum, ut he domini scelus enuntiaret, pari crudelitate elinguavit; sed quod unus dixisset, postea omnes coeperunt loqui;

Abscissa servum quid fœdas, Pontice, linguâ,
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

Ita factum est Tereo, ita factum innumeris, & sit etiam hodie plurimis, quorum flagitia clam perpetrata, Nemesis in apertum produxit. Neque semel contigit, ut bestia manifestarent scelera, quæ hominum nequitia summo studio celabat. Ælianus refert lib. 7. c. 25. de canicula Sicula, quæ adulterum in domo absconditum prodidit. Idem lib. 8. c. 20. narrat heram adulterantem à ciconia excæcatam. *Bessus* apud Plutarchum de *sera Numinis vindicta*, cum patrem nefando parricidio sustulisset, diuque scelus illud clanculum habuisset; postea temporis, foras cœnatum prodicens, nidum fortè hirundinum hastâ dejecerat, pullosque ad unum omnes interfecit. Interrogatus à prætereuntibus de insolentia facti: *non, inquit, auditis hirundines falsa de me vociferari, & testari, me patris mei esse interfectorem?* Mirati, qui intererant, hunc sermonem ad regem detulerunt; & Bessus suo iudicio accusatus, tum deinde convictus, pœnas luit. Credo has hirundinum accusatrices voces ortum à Progne duxisse, quæ quidem hirundineas pennas induit, memoriam tamen adulterantis Terei non exiit, nec de eo queri cessavit. Idem etiam hodie Philomela facit, de qua Bilbilianus Poëta:

A a 3

Flet

(b) Scelera dñi regi non possunt.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

III. (c) Disce præterea, quid sit irritasse Zelum conjugalem. Salomon Proverb. c. 6. *Zelus & furor viri non parcat in die vindictæ.* Tragicum est, quod ex Balinghen de triumpho castitatis refert Henric. Engelgrave Dom. 15, post Pentec. Vir illustri Pedemontanus, deprehensa uxore in adulterio, exarsit adeo, loris ut mœcho manus & crura constringi præciperet; carnificis vices uxorem, ac pedisequam, eius lenam, subire coëgit, & amasium ad trabales clavos parieti infixos suspendere. Quo supplicio peracto, fenestras & ostium infamis cubiculi opere cæmentario ocludi, & illic conjugem cum ancilla includi curavit, pane & aqua per angustam rimam suppeditatâ; donec putrescentis cadaveris intolerabili fœtore ambæ horrendum in modum contabuerunt. Similis & reciprocus, quin etiam furentior est Zelotypia uxorum in maritos ruptæ conjugalis fidei reos. Illæ enim implacabiles rugiunt, & sæviunt non aliter, quàm leonæ vel tigrides raptis catulis, nec prius desistunt, quàm furori suo, maritali sanguine litarint. Ita scribit Cicero lib. 2. offic. Alexandrum Pheræum Thessalorum regem, à Thebe uxore interfectum propter pellicatûs suspicionem. Et Justinus lib. 26. narrat, *Demetrium* Antigoni Macedonum Regis filium, jussu *Arfinoës* uxoris interemptum, quod cum Berenice socru stupri consuetudinem haberet. *Clytemnestra* audito Agamemnomem maritum Chryseidos Thebanæ puellæ amore teneri, se adulterio cum *Ægistho* polluit, & eius ope, maritum interemit. Sed multorum instar est, quod scribit Apollonius Rhodius lib. 1. Argonaut. Lemnias mulieres Zelotypiâ incensas, quod mariti captivas quasdam feminas adamarent, eos omnes, & præterea genus universum masculinum obruncasse. Memorabile est, quod de *Chiomara* Tolisto-Boiorum regina refertur, eam pudoris sibi captivæ à Centurione erepti injuriâ concitatam, dum persolutô Iytrô, osculum ab abeunte rapit odiosus amator, homini nihil tale metuenti per duos servos caput abstulisse, illudque veste involutum, velut opimum pudicitæ triumphantis spoliû ad mariti pedes abjecisse. Andreas Brunner in Annal. Boior. ex Val. Max. lib. 6. Verè Satyricus:

----- mulier sævissima tunc est,

Cùm stimulos pudor admovet. Juven. Sat. 10.

Et Seneca in Medea:

Nulla vis flammæ, tumidique venti

Tanta, nec teli metuenda torti,

(c) *Zelus fidei conjugalis læsæ.*

Quanta

Quanta cūm conjux viduata tædis
Ardet, & odit.

Et Ovidius lib. 2. de arte amandi.

Sed neque fulvus aper mediâ tam sævus in ira est,
Fulmineo rabidos dum rotat ore canes.
Nec lea, cūm catulis lactantibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede.
Gemina quàm socii deprensâ pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.

De Progne idem Naso:

Nec mora: traxit Iryn veluti Gangetica cervæ
Lactentem foetum per silvas tigris opacas:
Tendentemque manus, & jam sua fata videntem
Et Mater, Mater, clamantem, & colla petentem
Ense ferit Progne, lateri quâ pectus adhæret,
Nec vultum vertit; Satis illi ad fata vel unum
Vulnus erat.

In hanc rabiem efferat sive viros, sive feminas dolor, quos ultio violati thalami stimulat. Nec rarò sola suspicio immanes in hac Scena tragœdias excitat. Nota est historia de Ludovico Severo, Bojorum Principe, Donawertæ sedem habente; qui ob litteras ad Mariam conjugem, feminam integerrimam, à Ruchone dynasta datas, & ab ipso interceptas, ac malè intellectas, primò latorem, tanquam lenonem ferro obruncavit; deinde præfectum aulae jugulari, Matronam gynecæi præsidem ex alta turri præcipitari, conjugis caput per carnificem amputari jussit. Tot funeribus stetit unica temerati matrimonii suspicio. Ajunt Ludovicum prima statim à cæde nocte, sive facinoris fœditate, sive Mariæ Manibus exagitatum, cūm barba florente, & juvenili, decorâque coma, cubitum se contulisset, ita incanuisse, ut manè senem septuagenarium referret, Raderus in Bav. Sanct. tom. 2. in vita Mariæ Brabantinæ.

IV. (d) In Tereo etiam apparet amoris impuri violentia, quem non reverentia soceri, non sacramentum fœderis, non leges, non jura matrimonij, uxorisque respectus, non denique Philomelæ preces ac lacrimæ, ab inferendo per vim & contumeliam puellæ stupro absterruerunt. Dum enim Thrax tyrannus omnia sibi licere existimat, quia omnia possit, non contentus violentum flagitium intulisse miseræ, amore mox in odium & crudelitatem verso, etiam gladio violat calamitosam, & lingua,

(d) *Amoris impuri violentia.*

& lingua, optimo hominis instrumento, simulque loquelâ privat. Hoc ferè solent turpes proci, qui ubi vel vi, vel pretio ad inhonesta obsequia perduxere puellas post expugnatum pudicitiae decus, non alia praestant praemia, quam odium, contemptum, ignominiam, expulsionem, ludibria, probra. Exemplum ejus rei narrat S. Historia de *Amnone* Davidis filio, qui postquam incestum cum sorore *Thamare* commisit, *exosam eam habuit odio magno nimis: ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat. Ejecitque eam foras, clausitque fores post eam.* 2. Reg. 13.

V. (e) Neque frustra finxere Poëtae, Tereum in *upam* conversum; nihil est enim hac ave fœdus, nihil inquinatius, quippe quæ stercore delectetur maximè. Ad hæc longo & acuto rostro, tanquam cuspidem, armata, tyrannidem in aviculas exercet; habetque cristam plucabilem; quæ cum erigatur per longitudinem capitis, refert diadematis regij similitudinem. Agnoscas in turpi volucre, turpem & crudellem Terea, quem libidinis fordes & cœnum, etiam in transformata natura delectant. *Progne* verò in hirundinem mutata, *sparsas* cruoris in pectore maculas circumfert, & *Ityn* impiè peremptum garrula voce luget. *Philomela* figuram lusciniæ subjicit, etiam hodie de Terei injuria suavissimo cantu conquerentis. Sic citò transit facinus scelestum; manent tamen indelebiles sceleris notæ, & longa pœnitudo.

VI. (f) Vltimò ostenditur, quanti referat, matrimonium auspiciatò contrahere. De connubio *Progne* cum Tereo, *Ovidius*:

----- non pronuba Juno,
Non Hymenæus adest, non illi Gratia lecto;
Eumenides tenere faces de funere raptas,
Eumenides struere torum, tectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit.

Hac ave conjuncti *Progne*, Tereusque, parentes
Hac ave sunt facti. gratata est scilicet illis
Thracia, Diisque ipsis grates egere: diemque,
Quoque data est claro Pandione nata tyranno,
Quoque erat ortus *Itys*, festum jussere vocari.
Vique adeò latet utilitas.

Adeò non prospiciunt, non advertunt homines, quid sibi conducatur, vel eventurum sit. Quoties hoc ipsum occinunt sibi conjuges amœbæ: Pereat dies, quâ te primùm vidi: dispereant conciliatores & conciliatrices, quæ te mihi sociârunt; & cum *Medea* exclamat: Ad-

(e) Scelerum diuturna nota. (f) Inauspicatum connubium.

Adeste sceleris ultrices Deæ,
 Crinem solutæ squallidis serpentibus,
 Atram cruentis facibus amplexæ facem:
 Adeste, thalamis quondam meis
 Quales stetitis.

Nempe Erinnyes, Furia, & ceteræ pestes Erebi, nuptiarum diræ præsidēs & auspices. Quid mirum deinde, hisce initijs respondere mediâ, medijs extrema, & Terei repeti tragædiam.

SYMBOLVM XXXVII.

Zetes & Calais, alati juvenes.

6. Metam.

Ethicè.

1. Malè blandiens mulier, aut voluptas. 2. Avaritia. 3. Officiales & Ministri Principum. 4. Prodigii heredes. 5. Variorum rapacitas.

Phineus, Thraciæ, vel Arcadiæ, vel, ut quidam volunt Paphlagoniæ rex, non minùs avarus, quàm dives, filios duos *Plexippum* & *Pandionem* ex *Cleoparra* susceptos, novercæ *Harpalices* criminatione inductus, oculis orbavit. Igitur pari pœna plexus à Jove, talionem recepit. Insuper immissæ sunt ei *Harpys*, aves rapacissimæ, quæ assidue infestantes ipsum, non sinebant ullo loco quiescere; cibos etiam ab ore comedentis rapiebant, omniâque contactu fœdabant. Erant ex vultu quidem virgineo, sed uncis manibus seu potius unguibus, turpissimo & insatiabili ventre. Morabantur in *Symphali*, Arcadiæ lacu, unde *Symphalides* dictæ. Nomina illarum *Aello*, *Ocyete*, *Celano*. Adversus hæc monstra cum præsidium nullum sufficeret, demum Phineus se convertit ad opem à *Calai* & *Zete* (seu *Zeto*) *Boreæ* filijs petendam. Hi quòd in expeditione Argonautica in insulam Colchos ad sapiendum vellus aureum instituta, perhumaniter fuissent & prolixè à Phineo excepti, & insuper ei propinquitate, ob *Harpalicen* sororem, conjuncti libenter operam suam adversus *harpys* obtulerunt. Igitur & penitarum auxilio (nam ex alato patre geniti, & ipsi librantur alis) & sagittandi peritiâ
 B b freti,